

# Biblia Sacra Iuxta Vulgatam Versionem

adjuvantibus

B. Fischer, I. Gribomont,  
H. F. D. Sparks, W. Thiele

recensuit et brevi apparatu critico instruxit

Robert Weber

Editionen quintam emendatam retractatam

praeparavit

Roger Gryson

Complete Text without Apparatus

© 1969, 2007 Deutsche Bibelgesellschaft, Stuttgart

All rights reserved

[www.dbg.de](http://www.dbg.de)

[www.academic-bible.com](http://www.academic-bible.com)

# INCIPIIT AD TIMOTHEUM ·I·

1,<sup>1</sup> Paulus apostolus Christi Iesu secundum imperium Dei salvatoris nostri et Christi Iesu  
spei nostrae

1,<sup>2</sup> Timotheo dilecto filio in fide

gratia misericordia pax a Deo Patre et Christo Iesu Domino nostro

1,<sup>3</sup> sicut rogavi te ut remaneres Ephesi cum irem in Macedoniam

ut denunciare quibusdam ne aliter docerent

1,<sup>4</sup> neque intenderent fabulis et genealogiis interminatis

quae quaestiones praestant magis quam aedificationem Dei quae est in fide

1,<sup>5</sup> finis autem praecepti est caritas de corde puro

et conscientia bona

et fide non ficta

1,<sup>6</sup> a quibus quidam aberrantes

conversi sunt in vaniloquium

1,<sup>7</sup> volentes esse legis doctores

non intellegentes neque quae loquuntur

neque de quibus adfirmant

1,<sup>8</sup> scimus autem quia bona est lex

si quis ea legitime utatur

1,<sup>9</sup> sciens hoc quia iusto lex non est posita

sed iniustis et non subditis

impiis et peccatoribus

sceleratis et contaminatis

patricidis et matricidis

homicidis 1,<sup>10</sup> fornicariis

masculorum concubitoribus

plagiariis mendacibus

periuris

et si quid aliud sanae doctrinae adversatur

1,<sup>11</sup> quae est secundum evangelium gloriae beati Dei quod creditum est mihi

1,<sup>12</sup> gratias ago ei qui me confortavit Christo Iesu Domino nostro

quia fidelem me existimavit

ponens in ministerio

1,<sup>13</sup> qui prius fui blasphemus et persecutor et contumeliosus

Text from: Biblia Sacra Vulgata

© 1969, 2007 Deutsche Bibelgesellschaft, Stuttgart

All rights reserved

sed misericordiam consecutus sum quia ignorans feci in incredulitate  
1,<sup>14</sup>superabundavit autem gratia Domini nostri cum fide et dilectione quae est in Christo  
Iesu  
1,<sup>15</sup>fidelis sermo et omni acceptione dignus  
quia Christus Iesus venit in mundum peccatores salvos facere  
quorum primus ego sum  
1,<sup>16</sup>sed ideo misericordiam consecutus sum  
ut in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam  
ad deformationem eorum qui credituri sunt illi in vitam aeternam  
1,<sup>17</sup>regi autem saeculorum  
inmortali invisibili soli Deo  
honor et gloria in saecula saeculorum amen  
1,<sup>18</sup>hoc praeceptum commendo tibi fili Timothee  
secundum praecedentes in te prophetias  
ut milites in illis bonam militiam  
1,<sup>19</sup>habens fidem et bonam conscientiam  
quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt  
1,<sup>20</sup>ex quibus est Hymeneus et Alexander  
quos tradidi Satanae ut discant non blasphemare  
2,<sup>1</sup> obsecro igitur primo omnium fieri  
obsecrationes  
orationes  
postulationes  
gratiarum actiones  
pro omnibus hominibus  
2,<sup>2</sup>pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt  
ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate  
2,<sup>3</sup>hoc enim bonum est et acceptum coram salutari nostro Deo  
2,<sup>4</sup>qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire  
2,<sup>5</sup>unus enim Deus  
unus et mediator Dei et hominum  
homo Christus Iesus  
2,<sup>6</sup>qui dedit redemptionem semet ipsum pro omnibus  
testimonium temporibus suis  
2,<sup>7</sup>in quo positus sum ego praedicator et apostolus

veritatem dico non mentior  
doctor gentium in fide et veritate  
2,<sup>8</sup> volo ergo viros orare in omni loco  
levantes puras manus  
sine ira et disceptatione  
2,<sup>9</sup> similiter et mulieres in habitu ornato  
cum verecundia et sobrietate  
ornantes se non in tortis crinibus aut auro aut margaritis vel veste pretiosa  
2,<sup>10</sup> sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona  
2,<sup>11</sup> mulier in silentio discat cum omni subiectione  
2,<sup>12</sup> docere autem mulieri non permitto  
neque dominari in virum  
sed esse in silentio  
2,<sup>13</sup> Adam enim primus formatus est  
deinde Eva  
2,<sup>14</sup> et Adam non est seductus  
mulier autem seducta in praevaricatione fuit  
2,<sup>15</sup> salvabitur autem per filiorum generationem  
si permanserint in fide et dilectione et sanctificatione cum sobrietate  
3,<sup>1</sup> fidelis sermo  
si quis episcopatum desiderat bonum opus desiderat  
3,<sup>2</sup> oportet ergo episcopum inreprehensibilem esse  
unius uxoris virum  
sobrium prudentem  
ornatum hospitem  
doctorem  
3,<sup>3</sup> non vinolentum  
non percussorem  
sed modestum  
non litigiosum  
non cupidum  
3,<sup>4</sup> suae domui bene praepositum  
filios habentem subditos cum omni castitate  
3,<sup>5</sup> si quis autem domui suae praeesse nescit  
quomodo ecclesiae Dei diligentiam habebit

3,<sup>6</sup>non neophytum  
ne in superbia elatus in iudicium incidat diaboli  
3,<sup>7</sup>oportet autem illum et testimonium habere bonum ab his qui foris sunt  
ut non in obprobrium incidat et laqueum diaboli  
3,<sup>8</sup>diaconos similiter pudicos  
non bilingues  
non multo vino deditos  
non turpe lucrum sectantes  
3,<sup>9</sup>habentes mysterium fidei in conscientia pura  
3,<sup>10</sup>et hi autem probentur primum  
et sic ministrent  
nullum crimen habentes  
3,<sup>11</sup>mulieres similiter pudicas  
non detrahentes  
sobrias  
fideles in omnibus  
3,<sup>12</sup>diacones sint unius uxoris viri  
qui filiis suis bene praesunt et suis domibus  
3,<sup>13</sup>qui enim bene ministraverint gradum sibi bonum adquirent  
et multam fiduciam in fide quae est in Christo Iesu  
3,<sup>14</sup>haec tibi scribo sperans venire ad te cito  
3,<sup>15</sup>si autem tardavero  
ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari  
quae est ecclesia Dei vivi  
columna et firmamentum veritatis  
3,<sup>16</sup>et manifeste magnum est pietatis sacramentum  
quod manifestatum est in carne  
iustificatum est in spiritu  
apparuit angelis  
praedicatum est gentibus  
creditum est in mundo  
adsumptum est in gloria  
4,<sup>1</sup> Spiritus autem manifeste dicit  
quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide  
adtententes spiritibus erroris

et doctrinis daemoniorum  
4,<sup>2</sup>in hypocrisi loquentium mendacium  
et cauteriatam habentium suam conscientiam  
4,<sup>3</sup>prohibentium nubere  
abstinere a cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione  
fidelibus et his qui cognoverunt veritatem  
4,<sup>4</sup>quia omnis creatura Dei bona  
et nihil reiciendum quod cum gratiarum actione percipitur  
4,<sup>5</sup>sanctificatur enim per verbum Dei et orationem  
4,<sup>6</sup>haec proponens fratribus bonus eris minister Christi Iesu  
enutritus verbis fidei et bonae doctrinae quam adsecutus es  
4,<sup>7</sup>ineptas autem et aniles fabulas evita  
exerce te ipsum ad pietatem  
4,<sup>8</sup>nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est  
pietas autem ad omnia utilis est  
promissionem habens vitae quae nunc est et futurae  
4,<sup>9</sup>fidelis sermo et omni acceptione dignus  
4,<sup>10</sup>in hoc enim laboramus et maledicimur  
quia speravimus in Deum vivum  
qui est salvator omnium hominum maxime fidelium  
4,<sup>11</sup>praecipe haec et doce  
4,<sup>12</sup>nemo adulescentiam tuam contemnat  
sed exemplum esto fidelium  
in verbo in conversatione  
in caritate in fide  
in castitate  
4,<sup>13</sup>dum venio adtende lectioni exhortationi doctrinae  
4,<sup>14</sup>noli negligere gratiam quae in te est  
quae data est tibi per prophetiam cum inpositione manuum presbyterii  
4,<sup>15</sup>haec meditare in his esto  
ut profectus tuus manifestus sit omnibus  
4,<sup>16</sup>adtende tibi et doctrinae  
insta in illis  
hoc enim faciens  
et te ipsum salvum facies et qui te audiunt

5,<sup>1</sup> seniore[m] ne increpaveris  
sed obsecra ut patrem  
iuvenes ut fratres  
5,<sup>2</sup> anus ut matres  
iuuenculas ut sorores in omni castitate  
5,<sup>3</sup> viduas honora quae vere viduae sunt  
5,<sup>4</sup> si qua autem vidua filios aut nepotes habet  
discant primum domum suam regere  
et mutuam vicem reddere parentibus  
hoc enim acceptum est coram Deo  
5,<sup>5</sup> quae autem vere vidua est et desolata  
speravit in Deum  
et instat obsecrationibus et orationibus nocte ac die  
5,<sup>6</sup> nam quae in deliciis est vivens mortua est  
5,<sup>7</sup> et hoc praecipe ut inreprehensibiles sint  
5,<sup>8</sup> si quis autem suorum et maxime domesticorum curam non habet  
fidem negavit  
et est infideli deterior  
5,<sup>9</sup> vidua eligatur non minus sexaginta annorum  
quae fuerit unius viri uxor  
5,<sup>10</sup> in operibus bonis testimonium habens  
si filios educavit  
si hospitio recepit  
si sanctorum pedes lavit  
si tribulationem patientibus subministravit  
si omne opus bonum subsecuta est  
5,<sup>11</sup> adulescentiores autem viduas devita  
cum enim luxuriatae fuerint in Christo nubere volunt  
5,<sup>12</sup> habentes damnationem quia primam fidem irritam fecerunt  
5,<sup>13</sup> simul autem et otiosae discunt circumire domos  
non solum otiosae  
sed et verbosae et curiosae  
loquentes quae non oportet  
5,<sup>14</sup> volo ergo iuveniores nubere  
filios procreare

matres familias esse  
nullam occasionem dare adversario maledicti gratia  
5,<sup>15</sup> iam enim quaedam conversae sunt retro Satanam  
5,<sup>16</sup> si qua fidelis habet viduas  
subministret illis  
et non gravetur ecclesia  
ut his quae vere viduae sunt sufficiat  
5,<sup>17</sup> qui bene praesunt presbyteri duplici honore digni habeantur  
maxime qui laborant in verbo et doctrina  
5,<sup>18</sup> dicit enim scriptura  
non infrenabis os bovi trituranti  
et dignus operarius mercede sua  
5,<sup>19</sup> adversus presbyterum accusationem noli recipere  
nisi sub duobus et tribus testibus  
5,<sup>20</sup> peccantes coram omnibus argue ut et ceteri timorem habeant  
5,<sup>21</sup> testor coram Deo et Christo Iesu et electis angelis  
ut haec custodias sine praeiudicio  
nihil faciens in aliam partem declinando  
5,<sup>22</sup> manus cito nemini inposueris  
neque communicaveris peccatis alienis  
te ipsum castum custodi  
5,<sup>23</sup> noli adhuc aquam bibere  
sed vino modico utere  
propter stomachum tuum et frequentes tuas infirmitates  
5,<sup>24</sup> quorundam hominum peccata manifesta sunt  
praecedentia ad iudicium  
quosdam autem et subsequuntur  
5,<sup>25</sup> similiter et facta bona manifesta sunt  
et quae aliter se habent abscondi non possunt  
6,<sup>1</sup> quicumque sunt sub iugo servi  
dominos suos omni honore dignos arbitrentur  
ne nomen Domini et doctrina blasphemetur  
6,<sup>2</sup> qui autem fideles habent dominos  
non contemnant quia fratres sunt  
sed magis serviant quia fideles sunt et dilecti



qui beneficii participes sunt  
haec doce et exhortare  
6,<sup>3</sup> si quis aliter docet et non adquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi  
et ei quae secundum pietatem est doctrinae  
6,<sup>4</sup> superbus nihil sciens  
sed languens circa quaestiones et pugnas verborum  
ex quibus oriuntur invidiae  
contentiones  
blasphemiae  
suspiciones malae  
6,<sup>5</sup> conflictationes hominum mente corruptorum  
et qui veritate privati sunt  
existimantium quaestum esse pietatem  
6,<sup>6</sup> est autem quaestus magnus pietas cum sufficientia  
6,<sup>7</sup> nihil enim intulimus in mundum  
hanc dubium quia nec auferre quid possumus  
6,<sup>8</sup> habentes autem alimenta et quibus tegamur  
his contenti sumus  
6,<sup>9</sup> nam qui volunt divites fieri  
incidunt in temptationem et laqueum  
et desideria multa inutilia et nociva  
quae mergunt homines in interitum et perditionem  
6,<sup>10</sup> radix enim omnium malorum est cupiditas  
quam quidam appetentes erraverunt a fide  
et inseruerunt se doloribus multis  
6,<sup>11</sup> tu autem o homo Dei haec fuge  
sectare vero iustitiam  
pietatem fidem  
caritatem patientiam  
mansuetudinem  
6,<sup>12</sup> certa bonum certamen fidei  
adprehende vitam aeternam in qua vocatus es  
et confessus bonam confessionem coram multis testibus  
6,<sup>13</sup> praecipio tibi coram Deo qui vivificat omnia  
et Christo Iesu qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem

6,<sup>14</sup>ut serves mandatum sine macula inreprehensibile  
usque in adventum Domini nostri Iesu Christi  
6,<sup>15</sup>quem suis temporibus ostendet beatus et solus potens  
rex regum et Dominus dominantium  
6,<sup>16</sup>qui solus habet immortalitatem  
lucem habitans inaccessibilem  
quem vidit nullus hominum  
sed nec videre potest  
cui honor et imperium sempiternum amen  
6,<sup>17</sup>divitibus huius saeculi praecipe non sublime sapere  
neque sperare in incerto divitiarum  
sed in Deo qui praestat nobis omnia abunde ad fruendum  
6,<sup>18</sup>bene agere  
divites fieri in operibus bonis  
facile tribuere  
communicare  
6,<sup>19</sup>thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum  
ut adprehendant veram vitam  
6,<sup>20</sup>o Timothee depositum custodi  
devitans profanas vocum novitates  
et oppositiones falsi nominis scientiae  
6,<sup>21</sup>quam quidam promittentes circa fidem exciderunt  
gratia tecum

EXPLICIT AD TIMOTHEUM ·I·